



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,
Regum ...

Trithemius, Johannes

S. Galli, 1690

Einleitung

urn:nbn:de:hbz:466:1-38573

In Nomine Domini & Salvatoris Nostri
 JESU Christi, Exordium capit secundum Volumen
 Chronicorum, Historiarum, sive Annalium insignis
 Monasterij Hirsaugiensis.

A JOANNE TRITHEMIO
 ABBATE

S. Jacobi Apostoli apud Wirzburg Urbem Ostrofrancorum
 summa cum diligentia editum.

Post mortem Volboldi Abbatis hujus Monasterij Hirsaugiensis
 quinti atque vicefimi, in cujus obitu primum Volumen An-
 naliū tuorum, Ochara nobis Hirsaugia, complevimus.
 Abbatia, si rectè sentimus, in diem sextum vacavit.

De Joanne hujus Monasterij Hirsaugiensis
 Abbate XXVI. qui præfuit annis XI. mensibus III. diebus
 XV. & gestis quibusdam illius temporis.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis millesimo ducentesimo sexa-
 gesimo quinto, Indictione Romanorum octavâ, die mensis
 Junij quartâ decimâ, post mortem Volboldi Abbatis sextâ die
 (sub quo primum Volumen Annalium terminavimus) Prior
 & Fratres hujus Cœnobij Pastoris solatio destituti, ne viduitatis diuturnæ
 solita cogentur deplorare incommoda: pro electione Pastoris novi
 atque necessarij die præstitutâ ad locum Capitularem convenerunt: præ-
 missisque Jejunijs, Missis & Orationibus consuecis ad Electionem procef-
 serunt. Votis itaque singulorum ex more per ordinem scrutatis, Joan-
 nem Priorem suum Conventualem sanior pars merito & major numero
 in Abbatem eligit. Huic Electioni sese Fratres nonnulli opposuerunt
 vota sua in Volandum majorem Cellerarium dirigentes: qui tamen
 à senioribus informati communitati cesserunt, in electionem Joannis
 spontaneâ voluntate consentientes.

Electus itaque in Abbatem hujus Monasterij sextum atque vice-
 simum Prior iste Joannes, & per Henricum Ecclesiæ Spirensis Epi-
 scopum confirmatus ex more, ac benedictus, præfuit annis XI. mensibus
 tribus, diebus XVI. sollicitudine multâ & labore continuo: propterea
 quod & dies erant mali, & mores Claustralium deformati & pessimi,
 claudicabat in utroque statu Monastica Religio, & periculosum fuit esse
 Monachum: Abbatem verò longè periculosissimum. Ruerat enim

B

cum

Joannes
 Prior in
 Abbatem
 Hirsaug.
 xxvi. eligi-
 tur.